...es

... Cap. Pom.

Balicki Joannis: Plausus Apollineus —

PLAVSVS APOLLINEVS

Triumphanti ad Fortunatas Honoris Insulas

OPALENIÆ NAVI

Ad primum POSNANIAM ingressum,

ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. JOANNIS DE BNIN OPALENSKI

PALATINI BRESTENSIS, CAPITANEI POSNANIENSIS, MAIORIS POLONIÆ GENERALIS,

publicæ lætitiæ & gratulationis ergô

Per M. IOANNEM BALICKI Phil: Doctorem, Almæ Academiæ Posnanień. Cursûs Phil: Professorem,

EXHIBITVS.

Anno 1678. Die 5. Decembr.

POSNANIÆ.
Typis Alberti Reguli Młoduiewicz.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS OPALENIÆ.



Auratæ properant Classes dum ad littus honoris
Aurea virtutum vellera forte vehunt.
Quid censes, faciat gradiens, OPALENIA *Nauis?*
Fert rapido gressu dulce decoris onus.
Quam claram meritis Lechicus dum cerneret Ales
Semina virtutum, semper habere putat.
Ergo ait, augustas mereatur sumere Lauros
Quas sibi perpetuo sors veneranda ferat.

JLLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. JOANNI DE BNIN OPALENSKI, PALATINO BRESTENSI, CAPITANEO POSNANIENSI, Maioris Poloniæ GENERALI, Dńo & Patrono Amplissimo.



D publicos Magnorum Heroum plausus, quos à Superis ipsis sibi vendicant, lætoq; concentu sonantia vota omnium, qui nouam in ijs felicitatem intuentur: erubescendum omnino est Illustrissime & Excellentissime Domine, *quoties quæ alij seu non simplici ingenij censu exoluunt, dissimulamus: seu transire in alienum munus permittimus. Quanquam enim non leuis conscientia tenuitatis nobis sit, ad cuius cortinam semper ij spectantur, qui Musarum languido intuitu torsere* Pala*tia, vel vt (aiunt) inter coronata eruditorum capita exiguam gloriam vendicare censentur: pectora tamen istam condemnant suspicionem, quoties in illorum penetralia descendit, extra omne delictum hæc infirma*

censeri,

censeri; quæ se in validas explicare cupiunt vires. Nimirum vices istæ bonæ sunt non vitia animorum, etiam conuictos tenuitatis, cedere in obsequium sponte Magnis Heroum mentibus, debitamq; conscientiam sibi esse censeri, explicando quod in illis seu Gradivum spirat, seu Leucadium Themidemq; sapit; inserere nomen eorum popularibus fastis: quibus æternum adeò beneuolam se posteritas obstrinxit: vt non surdis excipiat auribus nauteam, quam tum demum cum fortunæ fluctibus perficiunt, quando edito pulcherrimo extra omnem comparationis aleam facinore, ad coronas, claraq; toto Orbe Trophæa celebranda, vocantur. Namq; etsi præstare non sufficiant, extra tamen pudorem aggredi student, si se pietas, si candor, si debitæ munus venerationis prouocet. Non erubescenda hæc vis Apollini nostro incumbit, si quidquid ingenio suæ tenuitatis conscio, non aptè ad magna exculto, in Te conijciat: Tibiq; dudum ex meriti Tui erga se conscientia obligatus, hanc pietatem exerceat, vt publicum plausum & gratulationem, Tui ad præsentē Honorem ingressûs & vota, ab eo recipias. Qui virtutum celsissimarū innumera facinora Tua in florenti hoc Lechiæ Regno, (vbi complecti ingenio non possit) prædicare non valet satis: pietatis tamen Officiū pudore eum absoluet: cui ob submissionē, alta infra vires conari tanto magis conceditur, quanto humiliori, studio corā Magnis Heroum mentibus se prosternit. Sitq; illi ad hunc ingressum Tuum Illustrissime Domine, *primus de Te optimè merendi gradus: Cui à Tuo in quo Te superi dudum emeritum collocant prosperari facilè eueniet, & veluti in spem auream euidenter assurgere; cum Te Patronum Musis suis, ad Tuam Gentilitiam Nauem ad Honoris Insulam triumphantem, post victas procellas triumphare studentibus, ominatur. Cuius consortio ego quoq; addictus, vota facio vt eminentiorum adhuc in Regno hoc Lechico Honorum felicitatem, in Te superi conijciant, & vlteriora merita decorent.*

Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominationis Tuæ

Humillimus Cliens,

M. Ioannes Balicki, Phil: D.

Academ: Posn: Phil: Cursûs

Professor.

PLAVSVS APOLLINEVS.

ILLVSTRES, ſi quando viros fortuna coronat,
Elogijs celebrare decet; quibus ipſe Mineruæ
Candor adeſt, lepidam ſuadam, tribuitq́; leporem
Calliope aſpirans; quæ dat ſua plectra Pòétis.
Nimirum, hæc pietas natis Helicone ſuperbo
Noſſe ſuum munus, genio quem Numina poſcunt
Magna Lechi, meritos calamoqué impendere cenſus.
Auguſtuſq; licet verbis ſupereſſe nequibit
Cultus & ordo, ſuum crimen facinuſqué tueri
Quiſq; ſolet referat ne conſcius ore pudorem.
Quidquid ſola tamen pietas è pectore fundit,
Effertq; eximio cenſu popularibus auris
Iucundum ſolet eſſe ſatis: ruit omne nefandum
Objectæ opprobrium ſubito meditabile culpæ,
Inter tot documenta Tibi, quæ maxima fundunt
Votorum Cicero, doctis quos ſpectat in vmbris
Maturi ſermone viri, & ſacra numina vatum,

Proſpiciuntq; ſuo Pindi quos culmine Muſæ,
Magna Deûm & quæ ſunt hominum, cantare Pôëtæ.
In Te quanta meæ ſupereſt facundia Muſæ
Conijcio, meritorum & quæ eſt Tibi copia luſtrans
Exonerant & quæ rapidam ad ſua littora Nauem
Propellunt, calamo refero Vir maxime Regni,
Vera Lechi Soboles; quando Tua magna capeſsis
Præmia, Magnatum turbis comitatus & Vrbis
Ingrederis portas propriæ velut alter Vlyſses,
Iucundam Patriæ terram, cuì Tu ipſe perennem
Fortunam importas, Themidi haud ſociatus iniquæ
Ergo victrices Tibi dum ſors nectere lauros,
Dignata eſt, veniam tribues, ſi forte triumphis
Nauem quâ priſcam decorauit Patria ſtirpem,
Illuſtrem ad littus fortunæ ſiſtere vela
Cantabunt Lechico mea carmina protinus Orbi.
Primos ergo gradus Nauis Tua clara trophæis
Concipit, & rapido Fortunæ littora curſu
Aggreditur, cui Leſcinius benè conuenit Vrus
Auſpiciùm faciens claro geſtaminè Circli,
Rectè quo ad littus Naues retinentur, & omni
Tempore felices placido cum ſidere portus
Percipiunt, & quæ referunt ſua vota coronant;

Dum

Dum teneram excoluit doctus Tua Apollo iuuenta,
Pierij sacro residens in vertice Montis,
Stemmate Lubranſci Poſnæ qui clarus ad Vrbem
Tollit ad aſtra caput, nitidus quod dum pede calcat
Bellerophontis equus, curſu haud ſuperabilis vllo,
Fons ſubito erumpit ferturq; ſub æthera riuis,
Quos Tu manantes tenero quando ore bibiſti,
Protinus ingenio polles, quo Numina magna,
Nutantem Patriæ retinent, ſi concidit Orbem.
Hinc placuit præclara Viris inuiſere Craci
Culmina, nobilior quibus indita gloria Pindi,
Quem Lechico in Regno clarum Iagelonica ſceptra
Illuſtrant, gemino è fonte vt ſapientia prompta
Sic magis aſſurgat, lætis celebranda triumphis.
Aſt flores, quibus ob Patriam manifeſta Iuuentæ
Caſtalidum cuſtos ſtudijs alimenta miniſtrat,
Si referant aliunde ſuos moreſq; decuſq;
Celſius exſurgunt ſucco meliore refecti,
Dant Patriæ tribuuntq; decus melioraque fata.
Inſignem genio varias Te duxit in oras
Virtus, magna ſibi generoſæ conſcia mentis,
Nullis fortunæ aduerſæ vincenda periclis
Quâ Domvs antiquo Illvstris clarebat ab æuo

Indidit

Indidit hūnc ānimum in Patriam fidiſsimus ardor,
Moribus excellens externis vt mage poſſet,
Robore Conſilij magno ſolidare, cadentem
Quod ſemper vexit victrix OPALENIA Nauis,
Vt primos ortus Lechico deſumpſit in Orbe
Atq; repentè ſibi adiunxit pro remige Clauas
Numina magna quibus totum ſonuere per Orbem;
Purpureumq; tulit velum applicuitque nitentes
Præſulei Capitis gemmâ radiante tiaras.
Inter tot decora hæc, radiat Tibi queq; Ioannes,
Præſulea & ſacra redimitus tempora vittâ,
In quo ſors Regni certo ſpem cardine vertit,
Quam capiunt ædes ſacræ, Diuûmq; Penates.
Dotibus inſignis Patrias quando aduenis oras,
Tectaq; celſa domûs ſublimibus alta columnis
Ingrederis, velut alma dies iam nocte repulſâ,
Pulchrâ luce nitens virtutum, triſtia pellis
Nubila; Namq; ſubit genium demergere curis,
Conſilijſq; animum generoſè armare ſagacem.
Quem Tu pro Patriâ, (vt cōſuêſti) impendere tentas,
Comitijſq; Tuum florem ſinè fine fatigas,
Quod pietas & amor mandant, & nulla repugnat
Temporis ardua ſors, frigus, Cæliq; minantis

Acris

Acris hyems, nimbis niuibus quæ ſtrata viarum
Corrumpit, celeres tardans ad munera greſſus.
Tentâſti Pelagus vaſtum, ſæuaſq; procellas,
Totq; vices ſuperas, quot ſuſtinet, Argo decora,
Difficiles Thedis nunquam, quæ exhorruit iras;
Vt mens illa, cui Maiorum ſanguinis auſpex,
Nomen & omne tulit, Lechicus quod cenſuit Orbis,
Appretiatq; ſibi, in qua ſemper maxima pendet
Sors, & certa ſalus, rerum ſpes magna ſuarum
Ferret opem Patriæ, maturo accincta labori,
Fortunamq; daret cui viuere quemq; neceſſe,
Qui Ciuis Patriæ, præclara ſtirpe creatur.
Poſtquám ſic rerum magna experientia creſcit,
Et pretioſa nimis, virtutum pignora Nauem
Exonerant: tandem princeps vbi copia rerum
Ciuilisq; ſuam poſuit prudentia ſedem,
Dirigis, impauido feſtinans remige curſum,
Regum dum greſſus celeres conuertis ad Aulam;
Aulam, quæ recti virtutis quæq; Magiſtra
Gymnaſium Tibi ſemper erat. Sic itur ad alta
Sic Lechici ſemper conſcendunt celſa Quirites.
Hinc Tibi fata nouos merito ſine fine triumphos
Accumulant, palmiſq; Tuam victricibus Argo

Exornant, quæ vllis, confundi neſcia ventis,
Innumeris ſæclîs Patriam ſeruabit in auge.
Cumq; Tibi, conſtans animus, qui cuncta gubernat,
Rector adeſt, Scyllas fugienti jamq; Charybdes,
Securum portum Deus ipſe oſtendit amoris,
Qui in thalamis reſidet, qui ſacra iugalia nectit;
Adſtipulas ſociam vitæ de ſanguine claro
Moribus eximijs, cui par ſit nulla virago.
Inter tanta licet maneas iam pignora amoris,
Quæ Te felicem ad portum Tua ſiſtere vela
Iure iubent, grauiora tamen tentamina ſortis
Eſſe putas patriam defendere, & anxia Martis
Munera magni animi tentas fortiſsime Miles,
Et proprium tabulis Gradiui tradere nomen
Non dubitas, patriamq; tueri intendere ſortem;
Quem precibus retinere nequit cariſsima Coniunx
Pectoris immenſum munus licet eſſe fateris,
Vota refert nimium pro Te, Superoſq; precatur.
Sed cum tanta Tibi veniat bellare cupido,
Deuincit Superos, qui pro Te ſemper in armis
Stant, & vim tribuunt, pugnantq; fideliter ipſi.
Quidquid enim ſæuum ex Orientis Spartacus ille
Parte trahit, fauceſq; tenent Mæotidis atræ,

Tauri-

Taurica sæua fouet, Tanais, vel barbarus ipse
Armatum, ruit: & stygias bene fertur in vndas.
Præcipitas ferro & tristem demittis in Orcum
Sceptris qui dignus fuerat, sociatus Achilli.
Sicq; TVÆ fortuna fauens resplenduit Argo,
Vt fluctus dudum edoctam superare feroces
Ad portum illustrem in Lechico deduceret Orbe.
Ergo sic rostris Martiq; è voce Polona
Authoratum Te, veneratur turba Senatus,
Inq; Tuis meritis condignâ sede reponit.
Publica vota trahis Musarum & Apollinis. Vnde
Quos fons Pierius sacrato rore refecit,
Hos clarus testis, Tua Virtus exhibet in Te.
Clara Tibi resonant per Nos Lechico Orbe trophæa;
Quemq; Palatinum Calissî Musa colebat,
Hunc Generalem Te Maiorq; Polonia tota,
Musarum & Præses Lubranscî dignè Heliconis
Plaudendo, Themidi sociatum iure salutat,
Et dum tam felix felicia littora prensas,
Ad quæ quidquid adhuc maius coniecerit in Te,
Sors Superumq; fauor: faciles nos pectore vultus
Acturos sperare potes qui mentibus Argo,
Æternum colimus submissis, iure decorem,

Et cupimus linguis ſemper calamiſq; mereri,
Vt Fautor Muſis noſtris, & Apollinis eſſe
Longæuùm Tutorq́; velis, cui fauſta precatur,
Auſpicijs tamen his merito felicior ibis,
Fauſtus Hymen quando ſuccedens pectora flammis
Præcurrit; qui feſta tulit ſocialia nuper
Fratri: exoptatam ſortem quoq́; contulit ipſe;
Gloria namq; Domûs meritis clariſsima Regno
Celſiùs exurget, tempuſq; vigebit in omne.
His thalamis ſacris oritur ſpes magna Nepotum.
Qui Patriæ Naui ſolitum renouare decorem.
Curabunt, ſemperq; extra diſcrimina flecti.
Hoc ſacer ipſe Tibi Lubranſcî Cynthius optat
Qui cupit in gremio ſemper poſcitq; foueri.



